



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Baconi Baronis de Verulamio, Vice-Comitis S.
Albani, Summi Angliæ Cancellarii, Opera omnia, Quæ
extant: Philosophica, Moralia, Politica, Historica ...**

Bacon, Francis

Francofvrti ad Moenvm, 1665

X. Actæon & Pentheus, sive Curiosus.

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10497643-5

volat & victoriam celebrat: Secundum Gestatio capitis *Meduse* in scuto; siquidem nullum præsidij genus huic ob præstantiam comparari possit. Unicum enim tacinus insigne, & memorabile fœliciter gestum, & perpetratum, omnes inimicorum motus cohibet, atq; malevolentiam ipsam stupidam reddit.

VIII.

ENDYMION, SIVE GRATIOSUS.

Paltor *Endymion* traditur à *Luna* fuisse adamatus: novum autem, & singulare erat consuetudinis genus, siquidem ille decumbebat in nativa quadam specu, sub Saxis *Larnis*; *Luna* autem haud raro de Cælo perhibetur descendisse, & sopiti Oscula petiisse, ac rursus in Cælum se recipisse. Neque tamen Otium istud, & somnus in detrimentum fortunarum ejus cedebat. Sed *Luna* interim effecit, ut pecus ejus pinguesceret admodum, ac numero etiam fœlicissime auctum esset, ut nulli paltorum greges essent lætiores, aut numerosiores. Fabula ad ingenia & mores Principum pertinere videtur. Illi enim cogitationum pleni, & in suspiciones propensi, non facile ad consuetudinem vitæ interiorum recipiunt homines qui sunt perspicaces, & curiosi, & quasi animo vigilantes, sive exsomnes: sed potius eos, qui ingenio sunt quieto, & morigeri, & quod placitum est illis patiuntur, & nil ultra inquirunt, sed se veluti ignaros & nil sententes, & quasi sopitos præbent; denique magis obsequium simplex, quam observantiam callidam præstant. Etenim cum hujusmodi hominibus Principes de Majestate sua, veluti *Luna* de Orbe superiore, descendere & personam (quàm perpetuò genere instar Oneris cujusdam sit) deponere, & familiariter versari libenter consueverunt, idque se tuto facere posse putant. Id quod in *Tyberio Casare*, Principe omnium maximè difficili, præcipue annotatum fuit: apud quem illi solummodo gratiosi erant, qui notitiam morum ejus reverè habebant, sed pertinaciter, & quasi stupidè dissimulabant. Quod etiam *Ludovico undecimo Francorum Regi* Principi cautissimo, & callidissimo in moribus erat. Neque ineleganter in Fabula ponitur Antrum illud *Endymionis*: quia ferè usitatum est illis, qui hujusmodi gratia apud Principes florent, habere secessus aliquos amœnos, quò illos invitent, ad otium & animi remissionem absque Fortunæ suæ mole. Qui autem in hoc genere gratiosi sunt, plerumque rem suam bene agunt. Nam Principes licet fortasse ad honores eos non evchant, tamen cum vero affectu, nec propter utilitatem tantum illos diligant, munificentia sua eos ditare consueverunt.

IX.

SOROR GYGANTUM, SIVE FAMA.

Memorant Poetæ, *Gygantes* è terra procreatos, bellum *Jovi*, & superis intulisse, & fulmine disiectos & devictos fuisse. Terram autem Deorum ira irritatam in vindictam natorem

fluorum, *Famam* progenisse; extremam *Gygantibus* Sororem:

*Illam Terræ parens irâ irritata Deorum
Extremam (ut perhibent) Cæo Enceladog, Sororem*

Progenit. —

Hujus Fabulæ ea sententia videtur esse: per *Terram*, Naturam vulgi significarunt, perpetuò tumidam & malignam versus Imperantes, & res novas parturientem: Hæc ipsa occasione adeptæ, Rebelles parit & seditiosos, qui Principes ausu nefario exturbare, & dejicere machinantur, quibus oppressis, eadem Plebis natura deterioribus favens, & tranquillitatis impatiens rumores gignit, & susurros malignos, & Famas querulas, & famosolibellos, & cætera id genus, ad invdiam eorum qui rebus præfunt; ut Actiones Rebellium, & Famæ Seditiosæ, genere, & Stirpe non differant; sed veluti sexu tantum; cum istæ mulieres videantur, illæ viriles.

X.

ACTÆON ET PENTHEUS,
SIVE CURIOSUS.

Curiositas humana in secretis rimandis, & eorum notitia appetitu male sano concupiscentia, & prensanda, duplici exemplo apud antiquos coercetur: Altero *Actæonis*, altero *Penthei*. *Actæon* cum *Dianam* imprudens, & casu sine veste vidisset, in Cervum versus, à canibus quos alebat, dilaceratus est. *Pentheus* cum sacrificiorum *Bacchi occultorum*, conscensa arbore, spectator esse voluisset, furore percitus est. Fuit autem *Penthei* Dementia ejus generis, ut res congeminasse existimaret, & duo Soles & rursus duæ *Thebæ* ei ob oculos versarentur; Adeo ut, cum *Thebæ* properaret, statim alteris *Thebis* conspectis retraheretur: Atq; hoc modo perpetuò & irrequisite sursum & deorsum ferretur.

Eumenidium demens qualis videt agmina Pentheus,

Et Solem geminum, & duplices se ostendere Thebæ.

Fabularum prima, ad secreta Principum; Secunda, ad secreta divina pertinere videtur. Qui enim Principibus non admissi, & præter eorum voluntatem secretorum conscii sunt, odium certissimum apud eos consequuntur. Itaque gnari se peti, & occasiones captari, vitam degunt Cervorum more timidam & suspicionibus plenam. Quin & illud sæpius accidit, ut à servis & domesticis in gratiam Principum, accusentur & subvertantur. Ubi enim Principis offensio manifesta est; quot servi, tot ferè Proditores esse consueverunt, ut *Actæonis* fatum illos moneat. Alia est *Penthei* calamitas. Qui enim ausu temerario, mortalitatis parum memores, per excelsa Naturæ & Philosophiæ fastigia (tanquam arbore conscensa) ad Mystera divina aspirant, iis pœna propo- sita est, perpetuè inconstantia, & judicij vacillantis & perplexi. Cum enim aliud sit Lumen Naturæ, aliud Divinum, ita cum illis sit, ac si duos Soles viderent. Cumque Actiones vitæ, & decreta voluntatis, ab intellectu pendeant; sequitur etiam ut non minus voluntate, quàm opinione hæsitent, nec sibi omnino consent: Itaque & duas *Thebæ*

Thebas similiter vident. Per *Thebas* enim actionum fines describuntur (cum *Thebis Pentheo* esset domus & perfugium. Hinc fit, ut nesciant, quò se vertant, sed de summa rerum incerti & fluctuantes, tantum subitis mentis impulsibus in singulis circumagantur.

XI.
ORPHEUS, SIVE PHILO-
SOPHIA.

Fabula de *Orpheo* vulgata, nec tamen interpretem fidum per omni sortita, *Philosophia* universæ imaginem referre videtur. Persona enim *Orphei* viri admirandi, & planè divini, & omnis harmoniæ periti, & modis suavibus cuncta vincens, & trahentis, ad *Philosophiam* descriptionem facili transitu traducitur. Labores enim *Orphei*, Labores *Herculis*, quemadmodum opera Sapientiæ, opera Fortitudinis, dignitate & potentia superant. *Orpheus* ob amorem uxoris morte immatura præreptæ, fretus lyra, ad Inferos descendere sibi in animum duxit, ut Manes deprecaretur; neque spe sua decidit. Nam placatis Manibus & delimitis, suavitate cantus & Modulationibus, tantum apud eos potuit, ut ei uxorem secum abducere indultum sit: Ea tamen lege, ut illa eum à tergo sequeretur, ipse autem antequam ad luminis oras perventum esset, ne respiceret. Quod cum ille nihilominus, amoris & curæ impatiencia (postquam ferè in tuto esset) fecisset, rupta sunt fœdera: atque illa ad inferos gradu præcipiti relapsa est. Ab illo tempore *Orpheus* mœstus, & mulierum osor, in solitudines profectus est, ubi eadem cantus, & Lyrae dulcedine, primò feras omnigenas ad se traxit, adèd ut naturam suam exuentes, nec irarum aut ferocitatis memores, nec libidinis stimulis, & furoribus præcipites actæ, nec ingluviem satiare, aut prædæ inhiare amplius curantes, in morem Theatri, illum circumstantent, benignæ & mansuetæ inter se factæ, & tantum Lyrae concentui aures præbentes. Neque is finis, sed tanta Musica vis, & potentia fuit, ut etiam sylvas moveret, & lapides ipsos, ut illa quoque se transferrent, & sedes suas circa eum, ordine & modo decenti ponerent. Hæc ei cum ad tempus fœliciter & magna cum admiratione cessissent; tandem *Thracia* mulieres stimulis *Bacchi* percitæ, primò cornu raucum, & immane sonans inflarunt: Ex eo, propter strepitum, musica sonus amplius audiri non potuit: Tum demùm soluta virtute, quæ ordinis, & societatis istius erat vinculum, turbati ceptum est, & ferae singulæ ad naturam suam redierunt, & se invicem ut prius persecutæ sunt; neque lapides, aut sylvæ suis mansere locis: *Orpheus* autem ipse tandem à mulieribus furentibus disceptus est, & sparsus per agros; ob cuius mortis mœrorem, *Helicon* (Hivius Musis sacer) aquas sub terram indignatus condidit, & per alia loca caput rursus extulit. Sententia Fabulæ ea videtur esse. Duplex est *Orphei Cantio*: Altera ad placandos Manes; Altera ad trahendas feras & sylvas. Prior ad naturalem Philosophiam, Posterior ad Moralem, & Civilem aptissimè refertur. Opus enim naturalis Philosophiæ longè nobilissimum, est ipsa restitutio, & instauratio rerum corruptibilium,

& (huiusce rei tanquam gradus minores) corporum in statu suo conservatio, & dissolutionis & putredinis retardatio. Hoc si omninò fieri debet, certè non aliter effici potest, quàm per debita & exquisita Naturæ temperamenta, tanquam per Harmoniam lyrae, & modos accuratos. Et tamen cum sit res omnium maximè ardua, effectus plerumque frustratur. Idque (ut verisimile est) non magis aliam ob causam, quàm per curiosam, & intempestivam sedulitatem & impatientiam. Itaque *Philosophia*, tantæ rei ferè impar; atque idcirco meritò mœsta, vertit se ad res humanas, & in animos hominum, suavis & eloquentia, virtutis, & æquitatis, & pacis amorem insinuans populorum cœtus in unum coire facit; & juga legum accipere, & imperiis se submittere, & affectuum indomitorum oblivisci, dum præceptis, & disciplinæ auscultant, & obtemperant: Unde paulò post *Ædificia* extruuntur, *Oppida* conduntur, *Agri* & *Horti* Arboribus conferuntur; ut lapides, & sylvas non abs re convocari & transferri dictum sit. Atque ista rerum Civilium cura, rite atque ordine ponitur post experimentum corporis mortalis restituenti sedulo tentatum; & ad extremum frustratum: Quia mortis necessitas inevitabilis evidentius proposita, hominibus ad aeternitatem, meritis, & nominis fama querendam; animos addit. Etiam prudenter in Fabula additur, *Orpheum* à mulieribus, & nuptiis alieno animo fuisse, quia nuptiarum delinimenta, & liberorum charitates, homines plerumque à magnis, & excelsis erga republicas meritis avertunt, dum immortalitatem propagine, non factis, assequi satis habent. Verum & ipsa Sapientiæ opera, licet inter humana excellant, tamen & suis periodis clauduntur. Evenit enim, ut postquam regna, & respublicæ ad tempus floruerint; subinde perturbationes, & seditiones & bella oriuntur; inter quorum strepitus, primò leges conticescunt, & homines ad naturæ suæ depravationes redeunt; atque etiam in agris, atque oppidis vastitas conspicitur. Neque ita multò post (si huiusmodi furores continentur) literæ etiam, & *Philosophia* certissimè disceptitur: adèd ut fragmenta tantum ejus, in paucis locis, tanquam *Naufragii* Tabulæ, inveniantur, & barbara tempora ingruant; *Heliconis* aquis sub terra mersis, donec debita rebus vicissitudine, non iisdem fortasse locis, sed apud alias Nationes erumpant, & emanent.

XII.
COELUM, SIVE ORIGINES.

Tradunt Poëtæ *Cœlum* antiquissimum Deorum extitisse; Hujus partes generationis à filio *Saturno* falce demessas fuisse. *Saturnum* autem sobolem numerosam generasse: Sed filios continuò devorasse: tandem vero *Jovem* exitum effugisse, & adultum, patrem *Saturnum* in Tartarum detrusisse, & regnum accepisse: quin etiam Patris genitalia eadem falce, qua ille *Cœlum* execuerat, abscidisse, atque in mare projecisse, inde *Venerem* natam esse. Postea vero *Jovis* regnum vix confirmatum, duo memorabilia bella excepisse. Primum *Titanum*, in quibus

Hhh 2 debel-